

1146 reversus. Emanuel & ipse interea ingentem vim navium comparaverat: cuius cura cum rei maritimæ imperio purpuratorum uni demandata, ipse cum terrestribus copiis in Epirum venit, Butrotumque castra admovit. Sed dum hæc ab illo geruntur, Veneti Corcyram, multis ex hostibus cæsis, pluribus vulneratis, expugnant. Apud quosdam tamen invenio, ante insulam armis receptam, quam in alto sit dimicatum: ac regia inde classe profligata, quatuordecim naves a Venetis captas. Firmata valido præsidio insula, subito in Siciliam cursum Venetæ triremes tenuerunt. Nullum cladi genus est, quod insula non sit per id tempus a Venetis perpetta: longe lateque ignis cum ferro tota terra vagatus est: mortales non pauci in captivitatem abducti: loca plurima incendio absumpta: sata frugiferæque arbores corruptæ. Et brevi constitit, Græciæ Imperium ea tempestate Venetis armis non solum, ut sæpe alias, defensum, sed in antiqua etiam majestate, quod sine hujusmodi auxiliis vix contingere potuissent, retentum. Ducas interitus, qui classis redditum præcesserat, quo minus tam inclytæ victoriæ lætitia sentiretur, effecit. Præfuit ille Reipublicæ annis undeviginti.

1148

*Dominicus  
Maurocen-  
nus Dux  
declaratur.*

Dominicus Maurocenus Dux secutus est, miro omnium ordinum studio Princeps declaratus. Per id tempus Rogerium Veneti nominis hostem vita decessisse apud quosdam reperio: qui post multa præclara gesta, quum & Thuneta in Aphrica subegisset, illud vivens regio ensi inscribendum curavit:

1149

*Turris e re-  
gione fori  
erecta.*

*Appulus & Calaber Siculus mibi servit & Afer.* Naves longæ sex ad tutandam maris oram, quæ piratarum latrociniis infestabatur, eo anno missæ, quinque Anconitanas alto mari adeptas cepere: præterat his Guiscardus, homo maritimo cursu ea tempestate illustris, qui in Venetorum potestatem redactus suspendio necatus est. Hoc quoque tempore aliquot publica privataque ædificia in Matris Domini insula, incerto auctore, ignis concremavit. Turris quæ e regione fori est, tum quoque fundata dicitur, opus sane admiratione dignum; ferunt molem ipsam tam altis